



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De falso intellectu istius verbi, Perfectio. tit. 22.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Roman. 8. Deus est qui iustificat: sed causâ quare iustificat, est Christi mors, & effusus sanguis illius. Apprehenditur autem à nobis per fidem & pœnitentiam. Marci 1. Pœnitementini, & credite Euangelio, &c.

## DE FALSO INTELLECTV

*istius verbi, perfectio.*

## TITVLVS XXII.

**P**rimò, sectæ in detrimentum bonorum operum dicunt, omnia opera nostra sunt imperfecta, in immunditia naturæ facta. Nō possunt opponi iræ Dei, idē nihil faciunt in conspectu Dei, nec ad salutem, nec iustificationem & meritum. Sola igitur aliena iustitia, id est, Christi, illa ex omni parte perfecta est. Et illa nobis per fidem distribuitur. Ideo petit Propheta Psalm. 114. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro. Et Romanor. 4. Ideo ex fide sola apprehendimus iustitiam & salutem, ut simus certi & firmi de promissione. Nam opera nostra quia sunt imperfecta, idē non possunt nos certificare, quod promissionem accipimus &c. Sic Iob veretur omnia opera sua, Iob 9. quia erant immunda & imperfecta, & Esaias 64. inquit: Omnes iustitiæ tanquam pānus menstruatae, id est, immundæ. Nihil igitur est cum operibus nostris. Ideo sola fides impetrat Dei misericordiam & cæt.

Secundò, hæc interpretatio plurimùm absterret à pijs operibus homines qui cogitant, si opera nostra sunt imperfecta: volumus ergo illa dimittere. Sed aliud est, imperfectum esse: aliud, nihil esse. Opera sunt imperfecta, ergo nihil sunt, non sequitur: Vita nostra est imperfecta, non viuimus Deo, sicuti debemus: ergo vita nihil est, nemo viuuit, non sequitur.

Ff 3      Moyses



Moyses dicit Deut. 32. Dei perfecta sunt opera, id est, solus Deus natura perfectus, & illius solius opera carent solùm imperfectione, nec angeli comparati cum Deo, sunt perfecti & puri: quantò minùs homines & illorum opera? Nostra igitur perfectio donum Dei est: ex illius plenitudine accepimus omnes, Ioann. 1. Quòd autem ideò nullus homo, vel nullius hominis opus sit perfectum coram Deo, quia similis aut simile D E O non est, non sequitur. Est enim quædam perfectio huic viæ competens, quam operatur Spiritus sanctus in nobis, in quântum nobis possibile est pro hac vita, & vltra Deus non exigit à nobis, Sic iubet Christus nos esse perfectos exemplo patris in cælo, Matth. 5. & 19. Et Paulus 2. Corinth. 13. Perfecti estote. Col. 1. Docemus Christum spem gloriæ, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Sic plerique sanctorum patrum dicuntur perfecti, & Ioannes 1. Ioan. 2. dicit de perfecta charitate. Sic Noë dicitur vir iustus & perfectus, Genes. 6. Sic Herodes scit Ioannem virum & sanctum & iustum, Marci 6.

Non ergò abijcitur à Deo nostra iustitia, quasi nihil sit, licet ad Dei iustitiam comparata, non respondeat, & licet in eum finem nō sufficiat, vt mereamur iustificationem & salutem, Hoc enim Christus semel & solus meruit: exigitur necessariò tamen nostra iustitia vt medium, quod vel apprehendit & retinet salutem, vel ad possessionem ducit. Non ergò sequitur, opera nostra sunt imperfecta, fiunt in immunditia carnis & cæt, ergò omninò rejciuntur à Deo, & nullius sunt ponderis. Si enim Deus penitus rejiceret omnia opera hominum, etiam sequeretur, quòd Spiritus sanctum operatorem illorum rejceret. Nam dicit Esa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, nos non sumus sufficientes ex nobis aliud quid cogitare, 2. Corinth. 3. Si ergò non sunt perfecta  
dona



dona Dei, mentitus est Apostolus Iacob. 1. qui dicit, Omne donum perfectum de sursum est. Et quoniam Deus operibus nostris promittit præmia Matth. 5. 1. Cor. 3. & 15. & propter opera dicit perfectos & iustos homines, sicuti Noë & Ioseph, Mat. 1. Gen. 6. Ergò est aliqua perfectio, etiam operum nostrorum, quam Deus acceptat & ornat donis suis. Nemo igitur absterreri debet à pijs operibus tanquam sint imperfecta & immunda &c. Etsi de naturali conditione operum non certamus, quia nihil meretur, nullam eius tribuimus perfectionem: Attamen quia fides purificat corda, Act. 15. & arborem bonam facit & ipse Spiritus sanctus, qui hæc operatur, & dat ei bonam esse, ipse est vitis & author bonorum operum &c. Ideò aliquam eis tribuimus perfectionem pro hac vita possibilem.

Tertiò, quandò scriptura dicit, nos adhuc esse imperfectos quo ad finem vocationis nostræ, id est, quod vocationem nostram nondum perfecimus, aut fidem, cursum vitæ, laborem, pia opera, obedientiam præceptorum. Nam hoc certum est, neminem esse perfectum, nec iustum, nisi quotidie officium pietatis exequatur impositum usque ad vltimum terminum vitæ suæ: tum demùm perfecta est eius vita, opera, fides, & consummatus cursus laborum, atque hoc modo perfectè executus est curriculū, Paulus dicit 2 ad Tim. vlt. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruavi, &c. Sic 1. Cor. 4. dicit, quanuis mihi nullius rei sim conscius, nondum tamen sum iustus: quanuis omni die laboro, facioque opus meum diligentissimè, attamen non sum ab omni seruitio pietatis liber: sed oportet cràs iterum pati & facere quod postulat DEI gloria, donec perfecero cursum meum: tunc enim dabitur mihi corona iustitiæ. Sic ad Rom. 13. inquit, (quoniam dilectio nostra est imperfecta usque ad mortem) nihil cuiquam debeatis, nisi vt inui-



cem diligatis, id est, licet sit semel exhibitā, tamen est iterum reddenda, donec mors venerit. Sic David petit Pfalm. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo &cæt. id est, Domine Deus, proroga mihi vitam, quo tibi de veritate agnita & commissis bonis fidem præstare possim, quo vitam meam emendem, quia coram te non iustificabitur vlla caro, id est, homo carnalis, qui secundum carnem, non secundum fructus viuit.

Galat. 5.

Sed sectæ quum loquuntur de perfectione, quam scriptura ad finem vocationis refert, trahunt ipsam ad substantiam operum, ac si omnia nostra opera forent imperfecta, eaque oportere per alienum meritum & alterius iustitiæ impurationem perfici & impleri, id est, etsi ex ipsa fide proficiscantur, nullius tamen essent momenti. Si enim non facimus perfectè bonum aut malum, quomodò nos Deus perfectè, aut iustos iudicabit, aut condemnabit, siquidem unicuique mercedem pollicetur secundum opera sua, Mat. 16? Si quis etenim imperfectè peccarit, pœna tamen plenaria illi imputeretur, nõne huic utique infertur iniuria? At Deus nulli facit iniuriam, Matth. 20. quia iustus. Ergò verbum bonorum operum docetur à sectarijs: nam pessima illa est consequentia, opera nostra sunt imperfecta: ergò penitus nihil sunt, sordent ante faciem Dei, sunt omittenda &cæt. Paulus non dicit 1 Corinthior. 13. quòd fides, scientia, prophetia, eleemosyna, martyrium, &cæt. sine charitate nihil sit, sed nihil prodest: & non dicit quòd charitas, quæ patiens est, quæ non æmulatur, non agit perperam quòd nihil sit, licet omninò ita perfecta in hac vita non sit, sicut erit in patria. Habet ergò suum circulum perfectio operum, iustitia, bona opera &cæt. prout in hac vita contingit. Et vltra Deus non obligat. Hoc quod mihi est impossibile ex humanis viribus, Deus non exigit, &c.

DE